



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XI. De sigillo Confeßionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO XI.

De sigillo confessionis.

DVBIUM I.

Vtrum ratione confessionis oriatur obligatio alicuius secreti?

Respondetur affirmatiue, quod patet ex sensu Ecclesiæ, ex Concilio Laterano sub Innocentio tertio, & refertur cap. omnis rursusque, de penitentibus & remissionibus, ubi dicitur: *Caveat autem omnino ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodatur peccatorem.* Idem patet ex can. sacerdos, de penitentia, dist. 6. desumpto ex Gregor. ubi dicitur: *Sacerdos ante omnia caveat ne de his, qui ei confitentur peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque quod absit pro aliquo scandalo.*

Ea verò obligatio ex communi Doctorum sententia, & sensu Ecclesiæ ita est stricta, ut nullo unquam casu liceat absque licentia penitentis peccata in confessione audita reuelare, ita ut persona confitens veniat in aliorum notitiam, ne quidem ad propriam vitam seruandam, vel etiam tempore in quo nec summus Pontifex dispensare possit.

Ex quo obiter patet eam obligationem non oriri ex solo iure humano, cum Pontifex in eo dispensare possit.

Patet etiam non oriri ex solo præcepto naturali secreti. Interuenit quidem aliqua naturalis secreti obligatio, & quidem tantò strictior, quanto apparet maioris momenti seruare secretum ei qui rem in tam sacro actu secretè committit: illa tamen obligatio sola non sufficeret ad secretum omni casu inducendum: quemadmodum enim alia secreta, ad quæ homo ex solâ lege naturæ obligatur, possunt variis casibus saluâ iustitiâ, & absque omni culpâ non seruari, ita confessarius posset sine culpâ illud non seruare, ut quando ad propriam vitam, vel tempore seruandam necessarium esset crimen alteri sibi notum reuelare, similiter quando res esset publica.

Item sistendo intra limites legis naturæ reuelatio etiam peccati mortalis non semper contineret peccatum mortale.

Si enim non censeatur grauis iniuria dicere de milite, quod suscepit duellum, licet res sit occulta, neque censeatur mortale, quamuis id ex confessione esset notum, & proinde reuelatio peccati solum esset venialis, quod est contra Doctores, aliunde ergo oritur tam stricta obligatio.

Controversia verò est, unde oriatur, quibusdam asserentibus oriri ex solo iure diuino positum, aliis verò asserentibus oriri ex iure diuino naturali, seu consequente institutionem huius Sacramenti, pro quo

Notandum id dici præceptum, vel prohibitum iure diuino naturali, quod ita consequitur aliquid supernaturale, ut eo positum etiam citra positum voluntatem Dei præcipientem censeatur præceptum &c. hac ratione, suppositâ institutione Eucharistiæ in nutrimentum animæ, connaturaliter sequitur quòd nullus possit ad eam accedere cum conscientia peccati mortalis, seu qui putet se

spiritualiter mortuum: quia nutrimentum debet vitam supponere saltem in conscientia lumentis. Illud est præceptum solo diuino iure positum, quod non necessariò aliud consequitur, sed eius obligatio, & necessitas oritur ex solâ voluntate alterius præcipientis, quâ ratione præmittere confessionem receptioni Eucharistiæ non est iuris diuini naturalis, sed ad summum solius diuini positiui, quia non consequitur institutionem Sacramenti Eucharistiæ sine nouâ diuinâ voluntate præcipientis, quòd aliquis conscius peccati mortalis debeat confessionem præmittere. hoc præmissis Resp. &

Dico 1. sacerdos videtur ex diuino præcepto obligari ad seruandum sigillum confessionis.

Probatur 1. hoc sigillum consequens confessionem videtur pertinere ad fundamenta religionis Christianæ, ergo est institutum & præceptum à Christo, cum primaria nostræ religionis fundamenta sint ab eo tradita.

Probatur 2. Christus instituens Sacramentum penitentiae voluit ut omnia peccata etiam interna, & quæ solâ cogitatione perpetrantur in hoc iudicio recenserentur, similiter voluit ut recenserentur etiam maximè enormia, & quæ ab alijs cognita certam auctori perniciem adferrent, ergo videtur statuisse tale secretum, quo prohiberetur omni casu reuelari id quod in confessione acceptum est, nisi intercedat licentia penitentis.

Probatur consequentia, quia absque tam arcto secreto onus confessionis esset intolerabile, & per consequens Sacramentum penitentiae.

Confir. 1. quamuis Christus tanquam absolutus Dominus famæ, & vitæ creatura potuisset hominem obligare ad constituendum occulta maxima peccata etiam cum certâ ruinâ penitentis, constat tamen id non fuisse, ut sumi potest ex variis casibus, quibus iuxta communem Doctorum sententiam aliquis non tenetur instituere confessionem materialiter integram, & constat Christum Sacramenta ad salutem animæ ordinata non ita instituisse, ut homo etiam cum manifesto vitæ periculo teneatur illa suscipere.

Confir. 2. instituens tam exactam confessionem id videtur instituisse, quod requiritur, ut homines non reuocentur passim ab hoc Sacramento, & ab integritate etiam materiali confessionis; atqui, nisi requireretur arctissimum secretum, communis homines merito arcerentur à confessione saltem integrè instituendâ, cum constet quod quando prudenter timeretur quòd confessarius aliquod peccatum sit reuelaturus, confessio posset dimidiari, igitur statuit arctissimum secretum.

Confir. 3. ut diuinum præceptum integritatis confessionis redderetur facilius, & non relinqueretur passim iudicio penitentis quandonam posset confessionem dimidiare, Christus id videtur statuisse, quo posito ea integritas communiter posset commodè impetrari, non relinquendo iudicio, & prudentiæ confessarij quandonam aliquid deberet reticere. si enim id relinqueretur eius prudentiæ, homines merito de plurimis peccatis possent dubitare, num confessarius fortè iudicaret ea esse reuelanda, & ita penitentes ferè pro suo arbitrio possent peccata in confessione reticere, per quod enervaretur præceptum diuinum integritatis confessionis, idque cederet in grauissimam huius Sacramenti irreuerentiam, imò & grauissimum onus penitentium, cum, per se loquendo, semper remaneret onus illa in confessione aperiendi.

14.
Obiectio
Resp.

Dices ad hoc sufficere præceptum diuinum naturale.

Resp. apud prudentes id posse quidem sufficere: quia tamen quando agitur de præcepto naturali, seu consequente constitutionem alicuius rei, dubium aliquod relinqui potest, num tale præceptum omni casu obliget, & ut non sunt conformia omnium iudicia, ut videmus in variis præceptis merè naturalibus, similiter & in quibusdam diuinis naturalibus, omnino fuit expediens ad tollendam omnem errandi occasionem, quæ maximè esset noxia Sacramento, statui diuinum secreti præceptum, & quidem arctissimum, & ut nullo vnquam casu esset locus interpretationi, quod hic & nunc non obligaret.

Confirm. alioquin multi confessarij minùs docti, & minùs prudentes possent nimiam licentiam hac in parte sumere, cum multi parum possint percipere huiusmodi præcepta naturalia &c. quæ non sunt euidentissima.

15.

Coroll. 1.

Ex his sequitur 1. quod etiam seposito quouis præcepto naturali de seruando secreto confessionis prudenter potuerit diuino præcepto introduci, & reipsa sit introductum tam arctum secretum præponderans omni obligationi præcepti naturalis, & arctius obligans, quàm præceptum naturale auertendi quantumlibet magnum reipub. malum spirituale, vel temporale, quia bonum huius Sacramenti positâ arctissimâ obligatione integrè consistendi maius est quouis bono illi aliquo modo repugnâti, & proinde Deus meritò potuit propter illud inducere præceptum strictius obligans, quàm quoduis naturale illi aliquo modo repugnans.

Confirm. quia si non esset introducta tam stricta obligatio, ne quidem auerterentur illa mala à republicâ, nam homines passim auocarentur à confessione, & susceptione Sacramenti penitentia.

16.

Coroll. 2.

Sequitur 2. hanc obligationem esse religionis, quia seposito omni iure proximi confessarius tenetur ex diuino præcepto seruare hoc secretum inuitu reuerentia Sacramento debita, & ne homines possint ab eo suscipiendo renocari. vnde licet interdum per respectum ad ius proximi nullum videretur committi peccatum, interdum solum leue, ut ex dictis facit potest colligi; nihilominus spectato bono huius Sacramenti, quod est maximum, & quod per cuiuslibet peccati etiam levis reuelationem graniter læditur, fractio sigilli nunquam est veniale ex parte paruitatis materia: quia etiam reuelatio parui peccati meritò homines reuocat ab hoc Sacramento, quod cedit in granem illius iniuriam, & proinde etiam in reuelatione parui peccati, per se loquendo, graue sacrilegium committitur, contrarium indicat Sa verbo *confessorum* 24. cuius sententia caret probabilitate, & videtur parum tuta, repugnatque communi Doctorem sententia.

Fractio sigilli nunquam est veniale ex parte paruitatis materiae.

Sa improbat.

17.

Conclus. 2. etiam est præceptum naturale diuinum seruandi sigillum.

Dico 2. probabile etiam est esse præceptum diuinum naturale seruandi secretum confessionis iuxta modum in precedenti conclusione explicatum, ita ut, secluso omni præcepto positivo diuino, ex præcepto consequente institutionem huius Sacramenti confessarius nullo casu possit reuelare, quod in confessione audiuit.

Probat ex variis ratiocinationibus iam factis, quia scilicet bonum huius Sacramenti altius est, & maioris momenti, quàm quodlibet aliud ei repugnans, v. g. reip. &c. igitur non possumus hac procurare cum detrimento boni huius Sacramenti, antecedens probatur, maius est homines non re-

uocari ab hoc Sacramento ad salutem necessario, quàm consulere reipub. præsertim cum, ut dictum est, si liceret aliquo casu reuelare audita in confessione, per confessionem non iretur obtinui commodis, quæ in republicâ timeretur obtinui: nullus enim vellet confiteri peccata, quæ timeret extra confessionem se inuito posse reuelari. cum ergo urgeat diuinum præceptum confessionis, consequens est, ut necessariò reticeantur peccata, quæ in ea recensentur.

Quamuis verò sit probabilis talem obligationem subesse etiam citra omne præceptum posituum: tamen tum propter primam rationem precedentis conclusionis, tum quia variis videri posset ex solâ rei naturâ etiam positâ institutione huius Sacramenti non posse oriri tam strictam obligationem, quantam esse constat obligationem seruandi secreti confessionis, dicendum Deum præcepto positivo talem obligationem imposuisse, ne res tanti momenti relinqueretur dubia.

Ex dictis sequitur in fractione sigilli plura peccata mortalia committi posse, vnum contra religionem, alterum contra iustitiam, si peccatum occultum proximi reueletur. imò contra secretum naturale, si res sit occulta. Dixi posse, quia licet prius semper sit mortale: posteriora tamen possunt esse venialia, ut si reueletur peccatum, quod non inducit notabile infamiam personæ, de quâ refertur, & de quo non magni refert seruare secretum.

Aduerte confessarium qui aliunde crimen nouit, posse ab hac fractione sigilli illud aperire, modo non manifestet vllam circumstantiam, quam nouit ex solâ confessione, neque certius refert, quàm cognouerit extra confessionem, in quo confessariis magnâ circumspectione opus est, & consultissimum est ut omnino sileant.

Dices interdum imponi potest publica penitentia, per quam peccatum innotescit, ergo non videtur oriri ex confessione obligatio sigilli à nobis explicata.

Resp. negando consequentiam: nam hæc penitentia solum imponitur de consensu penitentis, vel dum iure naturâ obligatur ad tollendum scandalum &c. & ita ut volens eam mandet executioni, ut suæ obligationi satisfaciatur.

Petes, an si nullum aliud esset præceptum, Ecclesia posset huiusmodi obligationem sigilli imponere? Resp. videri posse, quia posset motum relatum spectare, & ita propter ingens bonum Sacramenti penitentia obligare ad seruandum secretum non obstante detrimento reip. vel proprio confessarij.

DUBIUM II.

Ex quâ confessione oriatur hoc sigillum?

Resp. breuiter ex omni, & solâ sacramentali, saltem tali secundum prudentem intentionem. Dico, ex omni, scilicet etiam inchoatâ, etiam si non sequatur absolutio, quia sigillum non est appositum absolutioni, sed confessioni: & si sacerdos solum teneretur seruare sigillum quando absolutio reipsa sequitur, confessio meritò redderetur odiosa: nam vnusquisque meritò timere posset, ne aliquo casu non sequeretur absolutio, & per consequens ne sacerdos posset peccatum aperire absque fractione sigilli, quod cederet in grauem ipsius Sacramenti iniuriam, cum hac ratione homines ab eo auerterentur.

Hinc

Hinc sequitur quod sacerdos teneatur servare sigillum, licet penitens defectu doloris, propositi emendationis, vel alio simili fuerit incapax absolutionis, vel quovis alio casu ea secuta non fuerit.

Dico, ex sola sacramentali &c. quia si neque sit inchoatio, neque consummatio Sacramenti, non obligat sigillum. unde quamvis petens ab alio consilium, velit eum sub sigillo obligare, verè non obligat. quia sigillum non oritur ex hominum voluntate, sed ex Christi institutione, vel ex præcepto consequente institutionem Sacramenti penitentiae, & proinde errant, qui putant se posse hanc obligationem inducere, dum aliquem consilij causâ conveniunt, qui proinde hæc de re sunt monendi. non inducitur etiam hoc sigillum, si quis fictè confiteatur. confessorius tamen debet valde prudenter, & cautè hac in parte se gerere.

Dico, saltem tali securum prudentem intentionem: si quis enim confiteatur non sacerdoti etiam laico bonâ fide putans esse sacerdotem, inducitur sigilli obligatio; quamvis enim talis confessio à parte rei non sit sacramentalis, prudenti tamen æstimatione putatur talis à penitente, cum error circa ministrum non sit formalis, & circa conditionem ministri, sed solum materialis, & facti, qui error non debet tollere obligationem sigilli, & nocere penitenti bonâ fide procedenti.

Confir. si is, qui sacrilegè se gerit tanquam sacerdotem, & se ingerit excipiendis confessionibus non obligaretur sigillo, confessio merito redderetur odiosa.

Aliter dicendum de eo, qui scienter confitetur non sacerdoti putans ministrum huius Sacramenti non necessariò debere esse sacerdotem, quia talis erat in iure, & formali conditione ministri, neque eius confessio prudenti æstimatione censeri potest sacramentalis, & ex eo quod tali casu aliquis non obligetur sigillo confessionis, ea non potest merito reddi odiosa.

Adverte superiorem eo sigillo obligari, quando aliquis habens casum reservatum eum illi explicat, à quo receptâ penitentia remittitur ad inferiorem pro absolutione sacramentali. obligatur etiam quando post confessionem inferiori institutam aditur pro casu reservato, quia huiusmodi explicationes censentur ad confessionem sacramentalem pertinere, vel tanquam inchoatio, vel tanquam consummatio, posita enim casuum reservatione confessio hoc, vel simili modo debet perfici, & Christus non videtur absque tali onere dedisse superioribus potestatem causas suo iudicio reservandi, nam cum sit onerosum pro casibus reservatis debere superiorem adire, nisi is eadem lege obligaretur, quâ confessarij, confessio redderetur valde odiosa. similiter inferior petens veniam absolendi à casu reservato, nullo modo potest personam aperire, vel casum ita explicare, ut ea venire possit in notitiam superioris, nec superior potest curiosè inquirere eum periculo veniendi in notitiam personæ. inferior etiam ad id pertinet, licet superior veniam non concedat. videri potest Sorus distinct. 18. quæst. 2. artic. 5. §. igitur quod quæstioni. Suarez disp. 30. sect. 5. num. 2. & disp. 31. sect. 1. num. 8.

D V B I V M I I I.

Quanam cadant sub sigillum confessionis?

Respon. & dico 1. omnia peccata mortalia, & venialia, & circumstantiæ, quæ faciunt ad peccati declarationem, ita communiter Theologi. similiter personæ, & obiecta, quæ interdum ex penitentis æstimatione, vel re ipsa conducunt ad declarationem peccati.

Ratio est, quia hæc omnia, & singula vel sunt directè materia confessionis, vel necessaria ad materiam explicandam, & nisi deberent filieri, confessio redderetur valde odiosa.

Nec solum cadunt sub sigillum, quando præmittuntur absolutioni, sed etiam quando post absolutionem referuntur, ut si quis post absolutionem aliquid addat per modum circumstantiæ peccati recensiti, v. g. quia putabat se non satis causam explicuisse.

Probatur, quia id censetur consummatio confessionis, & si contingat circumstantiam adferre novam malitiam, sacerdos tenetur impendere novam absolutionem.

Adde quod nisi talia essent materia sigilli, penitentes merito essent perplexi, ne ex vna parte ex circumstantiæ novam malitiam continerent, & ita deberent recenseri; ex alterâ verò parte, ne confessarius iudicaret non continere, & ita posset eas absque sigilli sacramentalis fractione aperire, quod certè cederet in gravem iniuriam huius Sacramenti.

Hæc verò intelliguntur, non solum quando sunt occulta, sed etiam quando sunt publica: quia confessarius non potest ea referre nisi in quantum & eo modo, quo illa aliunde novit, nec potest dicere penitentem ea sibi confessum, est communis Doctorum, quamvis Medina codice de confessione q. 47. §. tertium dictum, censet confessarium posse dicere se illud in confessione audivisse, quo casu peccatum non est occultum, cuius sententia nullo modo videtur probabilis, vel in praxi secuta, aperitque ostium revelationi confessionis, ex quo fieri posset, ut hoc Sacramentum merito redderetur odiosum. adde præceptum esse absolute impossibile, nullumque potest censeri incommodum, etiam si hoc casu servetur, ergo etiam in eo vim suam retinet.

Dixi, nisi in quantum &c. quia confessarius non prohibetur uti scientiâ aliunde paratâ. hinc si publicus vsurarius, vel publicus concubinarus non sint absoluti, & petant communionem, confessarius potest eam negare, dicendo eos esse in publico peccato, tollendum scandalum, exhibendam publicam satisfactionem, ita multi. videri possunt Caietan. in summâ verbo confessor numero 70. Victor. num. 186. Valentia disp. 7. quæst. 13. puncto 3. §. non sequitur. Henriquez lib. 6. cap. 20. num. 4. Suarez disput. 33. sect. 3. num. 7. Vasquez similiter quæst. 93. artic. 4. dubio 6. num. 4. censet sacerdotem posse accusare eum, qui confitetur se quidpiam illi furatum esse, & nolle restituere, posse, inquam accusare, ex aliis iudiciis, quod scilicet eo tempore talis res sibi defuerit, nec alius domum intraverit.

Verum id in praxi non videtur tutum, & vsurpandum: quia debet supponi quod tota notitia facti verè sit comparata ex confessione sacramen-

24.

Conclus. 1.

Prob.

25.

Medina doctrina re-

Coroll.

Quædam doctrina Vasquez parum tutâ in praxi.

tali, & indicia seorsum sumpta non præberent sufficientem notitiam ad accusandum, unde talis verè vitur scientiâ ex confessione partâ, & ita meritò reddi posset odiosa confessio.

Aduerte quoad præsens institutum, discrimen esse inter peccata mortalia, & venialia: quòd mortalia ne quidem in genere reuelari possint, dicendo: talis mihi confessus est mortalia, vel vltum huius rei signum præbendo: venialia verò licet non possint reuelari in particulari, dici tamen possit in genere: confessus est venialia, item dici possit: confessus est mihi sua peccata, confitetur sola venialia; non descendendo ad vltum genus peccati, vel ad vltum factum in particulari, quod licet aliquis minùs prudenter acutiùs reprehenderit, non potest meritò notari, cum sit sententia plurimorum Theologorum. Adrian. in 4. quæst. de sigillo in 2. parte quæstionis, in probatione 3. conclusionis. Soti distinct. 18. quæst. 4. artic. 5. in 3. conclusione. Nauar. cap. 8. summæ num. 11. & in canonem sacerdos; de penitentia distinct. 6. num. 60. & 73. Valentia puncto citato §. quinto sequitur. Henriquez lib. cit. cap. 21. num. 1. Suarez sect. 3. cit. num. 4. Vasquez artic. 4. cit. dub. 3. Tolet. lib. 3. cap. 16. num. 2. potestque confirmari ex facto piorum, Doctorum, & prudentum, qui interdum hoc modo sunt locuti, fauetque ratio.

Nam qui confitetur, debet vt minimùm venialia confiteri; ergo qui hoc dicit, nihil aliud dicit præter id quod potest cenferi fieri, neque reddit hoc Sacramentum odiosum.

Confirm. absolvens id minimum implicitè significat, quidni ergo saluo sigillo dici possit explicitè?

Diligenter tamen cauere debet confessarius, ne ex modo loquendi ingeneret opinionem de grauioribus aliorum peccatis, quod posset contingere, si pauci ei confiterentur, & ita loquens de vno, sileret de aliis, quo casu Nauarrus cap. 8. citato summæ num. 9. censet eum frangere sigillum: quia ex modo, quo se gerit, censetur indirectè iudicare alios solitos confiteri mortalia.

Peti potest, vtrum saluo sigillo dici possit: non absolui?

Caietan. verbo *confessio* cit. num. 9. docet quidem non esse ita loquendum: in rigore tamen hoc modo non frangi sigillum, cum per hoc nullum penitentis peccatum manifestetur: quia ex pluribus causis potest prouenire, quòd non detur absolutio, vt quia confessio nondum est completa, vel quia confessarius difficilis noluit absolvere.

Nauar. cap. 8. cit. num. 10. Vasquez artic. 4. cit. dub. 10. num. 9. censent frangi sigillum, quod, moraliter loquendo, omnino tenendum.

Nisi enim ex circumstantiis, vel modo loquendi contrarium moraliter constet, hæc loquendi formâ ingeneratur opinio quòd idcirco penitens non fuerit absolutus, quia de grauius peccatis non erat satis dispositus.

Dico 2. dispositio penitentis cadit etiam sub sigillum. vt si penitens careat dolore, emendationis proposito, &c. quia dispositio, cum qua aliquis accedit, potest cenferi circumstantia causa, quæ ad tribunal penitentia deferretur.

Hinc confessarius, qui ex solâ alterius confessione nouit aliquem esse indignum absolutione, non potest eam ipsi denegare, vel eum disponere, si id præstare nequeat sine fractione sigilli.

Similiter, quidquid sit de eâ quæstione, num

liceat explicare personam complices, quando ea explicatio est necessaria ad perfectam, & specificam explicationem proprii peccati, ea non potest villo modo explicari, quando nequit sine fractione sigilli, vt si confessarius audito certo genere peccati in confessione peccauit, ipsemet instituens confessionem non potest ita explicare circumstantiam sui peccati, vt persona, quæ illi est confessa, & cuius occasione peccauit, veniat in alterius notitiam.

Ita communiter tradunt Doctores contra Sotum art. 5. cit. §. *occurrit autem*, cuius sententia non videtur villo modo probabilis.

Cadunt etiam sub sigillum defectus, qui aliquo modo ad famam penitentis pertinent, vt quod sit illegitimus.

Potè vt ex dubio 1. colligi potest, hæcenus dicta intelliguntur quando peccata &c. ita referuntur, vt persona penitentis possit innotescere, alioquin non frangitur sigillum confessionis vt communiter Doctores, nec per hoc confessio reditur odiosa.

Et satis indicatur capitulo, *omnis vtriusque*, de penitentis, & remissionibus.

Hinc confessarius potest consilij causâ adire peritorem, rem ita proponendo, vt persona non possit innotescere.

Quâ in re magna opus est circumspectione, neque id videtur practicandum, si persona, de qua agitur, aliunde innotescat ei, à quo petitur consilium: quia suppositâ eius scientiâ de tali personâ ex huiusmodi petitione consilij facili potest colligere talem, vel talem personam id esse confessam.

Confirm. qui faceret mentionem peccati in præsentia eorum, qui aliunde personam nossent, & ex coniunctione narrationis cum sua notitia indicarent certam personam commississe id, de quo agitur, omnino videretur frangere sigillum, ergo etiam frangit is: qui ab altero petit consilium de re auditâ in confessione, quando potest aliquo modo sibi persuadere personam consultori esse notam.

Nec videtur necessarium ad fractionem sigilli vt tota notitia ita immediatè habeatur à confessario, vt nulla notitia aliunde parta ad id inuare possit.

Confirm. 1. ex tali petitione consilij in his circumstantiis homines possunt meritò reuocari ab hoc Sacramento: cum enim non sit cuiusque penitentis scire capacitatem confessarij, nisi sibi persuaderent in tali circumstantiâ peccatum non posse alteri explicari, etiam consilij petendi causâ, meritò timerent ne suum peccatum reuelaretur ei, qui fortè illos nouit, & qui ex occasione poterit aduertere id illos commississe.

Confirm. 2. videtur omnino frangere sigillum is, qui habens paucos penitentes audito aliquo casu statim accedit alium consilij causâ, qui ratiocinando format iudicium de certâ personâ, id quod quia in similibus circumstantiis confessarius censetur moraliter indirectè eum inducere in notitiam, quòd talis persona hoc peccatum in confessione explicauerit.

Quia in sermone, qui fit de rebus in confessione auditis, sæpe potest subesse periculum fractionis sigilli, omnino consultus est, vt confessarij nullos inter se sermones de iis rebus misceant, & præsertim ij qui in eadem degunt communitate, quorum penitentes interdum ab vno ad alium trans-

26

Adrian.

Sot.

Nauarr.

Valent.

Henriq.

Vasq.

Suar.

Tolet.

27.

Petitio.

Caiet.

Videtur
violati si-
gillum di-
cendo: Non
absolui.

28.

Conclus. 2.

Coroll.

eunt, non facile etiam cum aliis de hisce rebus agant. adde non ita posse institui sermonem de peccatis, ut parva communitas infamet, ut Suarez sect. 3. cit. num. 8. Vasquez dubio 10. cit. num. 3. quia praeter iniuriam, quae fit ipsi communitati, etiam poenitenti grauer nocetur. contrarium videtur sentire Nauar. cap. 8. cit. num. 16. Sa verbo *confessor* num. 21.

Aduerte ea quae cadunt sub sigillo etiam post mortem poenitentis esse reticenda.

Quae nec sunt peccata, nec eorum circumstantia, vel obiecta, nec ad dispositionem & statum poenitentis pertinent, sub hoc sigillum non cadunt. quamuis omnino sit consultus etiam de his in confessione auditis non loqui.

DUBIVM IV.

Quinam obligentur seruare sigillum confessionis?

RESP. omnes eos, qui vel immediatè, vel mediatè peccata ex confessione accipiunt. ac 1. sacerdotem excipientem confessionem, 2. laicum, qui se gerit tanquam sacerdotem, 3. interpretem, qui est instrumentum poenitentis, & qui proximè concurret ad explicationem peccatorum poenitentis in confessione, de quo videntur negare Caietan. in summâ, verbo *confessio*, conditione 11. & Sotus distinct. 18. quaest. 4. artic. 5. §. per hoc respondetur, quia videlicet is se tenet ex parte poenitentis, sed alij communissimè contrarium docent, & merito: quia cum hoc Sacramentum sit maxime necessitatis, quod tamen interdum aliter, quam per interpretem non potest institui, poenitentes maximum grauamen sentirent, si interpretes non teneretur legibus sigilli, & id cederet in grauem ipsius Sacramenti iniuriam, quod hac ratione redderetur odiosum.

Obiicies, in superioribus dictum est, quòd quando confessio fit per interpretem, possit institui non materialiter integra, & proinde poenitens poterit explicare peccatum, quod reuelatum nullam infamiam poterit gerere.

Resp. 1. id non refert, quia etiam cedit in grauem ipsius Sacramenti iniuriam quòd peccatum quantumuis leue reuelari possit.

Resp. 2. futurum magnum grauamen poenitentis, quòd non possit aliquo casu instituere confessionem materialiter integram, nisi se exponat periculo, quòd peccata reuelabuntur. ad id quod dicitur interpretem se tenere ex parte poenitentis.

Resp. id non refert, quia nihilominus est persona distincta, quae valde noceret huic Sacramento, si eadem sigilli lege non obligaretur.

4. Ad id obligari eum, qui etiam inculpate audiuit alterius confessionem, & multò magis eum, qui suâ culpâ audiuit, ut si se furtiue ingesserit, cum is peculiariter peccauerit in poenitentem, & Sacramentum, quod postulat, ut nullus absque poenitentis licentiâ se illi ingerat. ratio dicti est, quòd ea notitia parta sit ex confessione, & Sacramentum postulet, ut ad quemcumque perueniat, saltem sine poenitentis licentiâ, regatur.

Confirm. quia aliàs hoc Sacramentum merito redderetur graue, si contingeret non obligari si-

gillo eos, qui vel casu, vel etiam suâ culpâ peccata in confessione audiunt, cum confessio homini instituenda huiusmodi casibus possit esse obnoxia.

5. Teneri eum, qui peccatum audiuit ex confessario saltem absque licentiâ poenitentis, cum iniuria per sacerdotem illata non debeat obesse Sacramento, quod redderetur valde onerosum, si citra fractionem sigilli liceret uti notitiâ ita comparatâ.

Hinc fit, ut communi Doctorum sententiâ index, qui crimina nouit etiam mediâtè ex solâ confessione, non possit uti illâ scientiâ procedendo contra reum.

6. Superiorem, cui vel ante, vel post confessionem explicatur casus reseruatus, ut dubio 2. diximus.

7. Eum, qui alterius rudis confessionem describit. ut si poenitens petat ab aliquo peccata sua describi, ut ea melius possit in confessione recensere &c. quia hoc modo inchoatur confessio. non obligatur tamen qui inueniens scriptum illud legit, quia notitia hoc modo parta nimis remotè, & per accidens se habet ad confessionem, & scriptura est res permanens, quae independentè à confessione potest ingenerare notitiâ, ex cuius reuelatione Sacramentum nullo modo potest reddi odiosum, & onerosum, videri potest Henriquez libro 6. cap. 20. num. 2. talis tamen obligatur secreto naturali.

Denique quando sacerdos alicui communitati reuelauit peccatum, singuli tenentur de eo silere, nec possunt de eo sermonem inter se miscere, cum iniuria per sacerdotem illata non debeat nocere poenitenti, vel Sacramento; vnde propter reuerentiam Sacramenti, quod alioquin redderetur valde odiosum, notitia tum in hoc tum in aliis casibus transit cum illo onere, atque ita licet res eo casu non sit secreta, ita tamen debet reticeri, ac si non sciretur, sigillo confessionis obligante ad arctissimum silentium eius, quod in poenitentiae iudicio est propositum; estque omnino verius, quòd licet ex aliquâ necessitate confessio sit publicè instituta, sigillum seruari debeat.

Ex dictis facile patet falsitas sententiæ Gabrielis, qui dist. 21. q. vnica art. 3. dub. 1. casu 3. censet confessarium sub iuramento interrogatum non posse tacere, vel negare id, quod in confessione audiuit, quæ sententia defendi non potest. vnde dico cum communi Doctorum sententiâ confessarium non posse villo modo reuelare, quod ex solâ sacramentali confessione audiuit, quantumuis etiam iudici interroganti praestito etiam iuramento promiserit se responsurum circa ea, quae interrogabitur, quia promissio, & iuramentum intelliguntur de iis, quae iure petuntur, & proinde non obstante tali iuramento potest respondere se nihil huiusmodi scire, similiter potest dicere se id non audiuisse, si rogetur num audiuerit. nec tantum potest, sed debet negare, quia in talibus circumstantiis sigillum ad id obligat. nec in eo mentitur, quia verè nescit, verè non audiuit, eo modo, ut iure reuelare possit, neque nouit notitiâ, quâ in humano conuictu uti liceat, de quâ iudicis interrogatio est intelligenda, & quæ restrictio saltem tacitè inest sacerdotis responsioni. imò potest, & debet negare, licet index, vel tyrannus petat, num audiuerit in confessione, debet, inquam negare, adhibendo restrictionem: Ita ut possim reuelare. quamuis Sotus

37.
Difficultas
specialis.

dist. 18. quaest. 4. art. 5. §. *anbium autem*, in eo casu neget. Dixi, quod ex sola confessione sacramentali audiatur, quia scientia aliunde parit vti potest si legitime rogetur, imò & debet, nihil tamen debet involuere, quod scit ex sola confessione.

Pater etiam quomodo possit respondere sacerdos, rogatus num aliquem absoluerit. si enim non absoluerit, non potest respondere: non absolui, sed dicat: functus sum meo munere, & prudenter taceat ne ex vario modo respondendi colligatur eum quosdam non absoluerit. itaque interrogatus sigillatim de pluribus respondeat de singulis functus sum meo munere.

In praesenti difficultas est, num Doctor, cui ex licentia penitentis peccatum aperitur, & persona penitentis, obligetur sigillo.

Suppono 1. ex dicendis penitentem posse ad id licentiam concedere.

Suppono 2. talem Doctorem obligari lege secreti naturalis, quia non minus obligandus est hoc secreto in eo casu, quam obligetur in aliis casibus, quibus prudenti iudicio res censetur commissa sub secreto.

Difficultas verò est, num etiam teneatur lege sigilli. negat Vasquez art. 4. aliquoties citato dubio 2. num. 10. & quidam alij.

Communius affirmant alij. Navar. cap. 8. summae num. 7. Henriquez lib. 6. cap. 20. num. 3. litera S. Sa verbo *confessor* numero 30. Tolet. lib. 3. cap. 16. num. 15. Suarez disp. 33. sect. 4. num. 6. qui pro eadem plures citat. quae sententia videtur omnino verior.

Probat, talis Doctor huiusmodi notitiam comparavit ex confessione, nec ei data est facultas respectu aliorum vtendi tali notitia. assumptum probatur, penitens non aliter crimen aperuit, quam in confessione, & non aliter veniam dedit alteri aperiendi, quam in ordine ad hoc Sacramento, & vt Doctor suppleat aliquo modo defectum scientiae confessarii, & vt confessarius penitentem in hoc Sacramento possit dirigere, ergo Doctor censendus est eam notitiam habere ex ipsa confessione, & in ordine ad claves, seu vt confessarius debite suo munere in hoc Sacramento fungatur.

Confirm. quemadmodum interpret se tenet ex parte penitentis, cuius defectum supplet in hoc Sacramento, & ideo non potest vt scientia, quam hausit à penitente contra eius voluntatem, ita Doctor supplens defectum scientiae confessarii, cumque instruens ad penitentem prudenter in hoc Sacramento dirigendum eodem sigillo obligatur, & nisi obligaretur merito confessio reddi posset odiosa, cum moraliter loquendo, nō omnes confessarii ea polleant scientia, & prudentia, vt per seiplos sine alterius consilio penitentes semper possint dirigere, & interdum sit omnino vtilius pro directione penitentis eius personam consiliario aperire.

Ex his patet talem consiliarium non sese habere planè per accidens respectu penitentis, & Sacramenti penitentiae, cum eius consilium in his circumstantiis ad hoc tendat, vt confessarius in suo munere prudenter se gerat, & Sacramentum prudenter administret, ac penitens in eo dirigatur.

Pater etiam, quod penitens dando huiusmodi licentiam non censetur peccatum bis recensere, & non censetur illud consiliario aperire extra confessionem mediante confessorio. pater, inquam, id non posse merito dici, quia sic dicendum esset

peccatum censeri bis explicatum confessorio, semel in confessione, & semel extra confessionem, ex quo sequitur quod ipsemet confessorius aperiendo peccatum, non frangat sigillum confessionis, quod nullus asserit.

Dices, id nullo modo sequi, cum licentia solum detur respectu talis personae.

Respondeo optimè sequi, quia si semel concipiamus illi dici extra confessionem, vtendo ea scientia non frangit sigillum, nec est in potestate penitentis dicere extra confessionem respectu alius, & rem non simpliciter extrahere extra limites sigilli, atque adeo respectu aliorum relinquere sigilli obligationem. quauis ergo confessorius possit peccare illud aperiendo aliis, respectu quorum non est illi data licentia: tamen procedendo conformiter principis Vasquez, dicendum erit eum non peccare fractione sigilli.

Aduerte quod licet tam multi legibus sigilli teneantur; pro nullo tamen alio pena sit imposita, quam pro sacerdotibus, qui per canonem, *sacerdos, de de. penitentia*, dist. 6. iubeatur deponi, & toto vitae suae tempore ignominiosus peregrinari, quae pena quoad posteriorem partem mutata est per cap. *omnis viriusque sexus*, de penitentia, & remissionibus, in penitentiam perpetuam, quam agat in arcto monasterio. itaque nulla pena lata sententia incurritur propter fractionem sigilli.

DVBIVM V.

Utrum liceat extra confessionem agere cum penitente de auditis in confessione?

RESP. non licere absque eiusdem penitentis licentia, ita plurimi Doctores videri possunt. Victor. num. 184. Sotus distinct. 18. quaest. 4. art. 6. §. *quod si seiscueris*, Tolet. lib. 3. cap. 16. num. 12. Suarez disp. 33. sect. 5. & plures alij. an autem id sit contra sigillum, videtur aliquo modo pertinere ad quaestionem de nomine: constat enim non reuelari alicui secretum confessionis, & ideo negant esse contra sigillum Sa verbo *confessor* nu. 22. Vasquez qu. 93. art. 4. dub. 10. num. 8.

Alij tamen affirmant, quia sigillum confessionis non solum videtur obligare, vt res non manifestetur ei, cui erat ignota, sed etiam ne peccata in foro penitentiae cognita recenscantur extra illud forum cum rubore penitentis, cum etiam per huiusmodi narrationem confessio reddatur odiosa, & vnusquisque merito possit egre ferre, si peccata, quae aperuit in confessione, extra illam ipsi obiciantur.

Confirm. si interpret confessionis postmodum agat cum ipso confessorio de rebus in confessione pertractatis, videtur frangere sigillum, licet propriè nulli secretum aperiat.

Ex eo quod non liceat sine licentia penitentis agere cum eo extra confessionem de rebus in confessione explicatis, auctores passim tradunt confessorium, qui in suo munere errorem commisit, non posse cum penitente tractare extra confessionem absque eiusdem licentia, & proinde morient, vt eum prudenter alliciat ad rursus sibi confitendum, vel dicat se cupere loqui de re ad confessionem pertinente, & si possit absque scandalo &c. impetrata licentia errorem aperiat, quod

Qui confitetur, obligatur sigillo. Navarr. Henrig. Sa. Tolet. Syar.

Confirm. resolutio.

38.
Coroll.

quod si penitens eam nolit concedere Suarez sect. cit. censet confessarium nihilominus posse loqui, quia non censetur loqui extra confessionem, sed eam consummare; sed omnino verius est quod dicunt alij, scilicet non posse: quia ante censetur suum ministerium absoluisse, neque potest penitentem invitum secundo sibi subijcere: id enim redderet hoc tribunal valde odiosum, & onerosum, unde eo casu totum debet relinquere.

In titulo dixi, extra confessionem, quia praxis communis etiam doctorum & timoratorum confessorum satis declarat in foro penitentiae rationabili ex causa fieri posse mentionem eorum, quae in priori confessione dicta sunt. nam confessarij interdum negant absolutionem propter indispositionem penitentis & carentiam propositi, quam ex praecedentibus confessionibus aduertunt, ex quibus notant frequentem lapsum in idem peccatum.

Confir. 1. ex eo quod talis notitia saepe sit utilis, ut confessarius penitentem prudenter in hoc foro dirigat. unde Doctores passim sentiunt ad profectum spirituale esse vtilissimum vno, & eodem confessario vti, quod dici non posset si confessarius pro directione penitentis non posset vti notitia ex alijs confessionibus comparata.

Confir. 2. ex tali modo procedendi confessio non potest censi onerosa, cum totum in eodem foro peragatur & sacerdos se gerat tanquam Dei ministerium.

Adverte similiter licere monere penitentem in eadem confessione etiam post absolutionem, quia morali iudicio id non censetur fieri extra idem forum, sed censetur pertinere ad actus complementum.

Ex his videtur patere resolutio quaestionis, quam supra q. 80. art. 6. dub. 2. in hunc locum remisimus, an scilicet liceat negare Eucharistiam occulto peccatori priuatim petenti, quando eius status ex sola confessione sacramentali notus est: in qua, ut ibidem diximus plures sunt sententiae; omnino tamen verius est nullo modo licere negare, saltem si penitens possit suspicari, quod negetur ex notitia status in confessione parta, in quam sententiam tandem propendet Suarez disp. cit. sect. 6. nu. 4. in fine, quamvis alibi cum quibusdam alijs contrarium sentiat. ratio est quod talis denegatio Sacramenti sit realis exprobratio facta penitenti, & tacita criminis obiectio.

D V B I V M V I.

Utrum cum licentia penitentis liceat cum eo vel alio agere extra confessionem de auditis in confessione?

NEGANT Scotus dist. 21. q. 2. in solutione primi argumenti, Dur. q. 4. Gabr. q. vnica art. 3. dub. 4. & plures alij.

Asserunt communis Theologi, quorum sententia est omnino verior, quia sigillum confessionis est quoddam secretum, & proinde nisi constet de contrario, dicendum sequi legem secreti, quae est, ut aliquis non obligetur illud seruare concedente eo, in cuius gratiam seruari debet, quod patet in secreto naturali, cuius obligationem remittente eo, cui alioquin seruandum esset, non obligat. idem est cernere in similibus obligationibus, quae dependet ab alterius voluntate, ut censentur

permanere, & solum sub tali conditione implicite censentur vim suam obtinere. v. g. obligatio promissionis solum tamdiu censetur permanere, quamdiu promissarius eam non remittit, eo vero remittente desinit.

Dices, sigillum est primo applicatum in bonum Sacramenti, non vero respectu cuiusque penitentis in particulari, cui bono penitentes non possunt efficaciter cedere: quemadmodum clericus non potest cedere privilegio fori, subdendo se iudici saeculari, quia illud privilegium introductum est primo in fauorem status, & Ordinis clericalis.

Resp. sigillum hoc sensu esse applicatum ob bonum Sacramenti, ut scilicet Sacramentum penitentiae non redderetur odiosum, sed id totum factum est per ordinem ad penitentes, ne videlicet penitentibus nimis graue esset Sacramentum; nullo autem modo potest censi graue, si penitente consentiente, cum ipso vel altero misceatur sermo de auditis in confessione. unde ad minorem Respondeo negando: ad id quod adducitur tanquam simile, resp. non esse simile, quia quoddam alius clericus volens se subdat iudici saeculari, non facit ut id censetur iniuriosum statui clericali, ob cuius reuerentiam clericus exemptus est a iurisdictione saecularium; in praesenti autem, Sacramento non potest dici onerosum, si volente penitente non seruetur sigillum, & proinde in ea circumstantia per ipsam reuelationem non potest censi irrogari iniuria Sacramenti.

Adverte 1. confessarium non posse ex sola praesumptione voluntatis penitentis agere de auditis in confessione, sed licentiam debere expresse concedi: quia alijs Sacramentum redderetur odiosum, similiter hanc facultatem non debere vi vel metu extorqueri: quia praeter iniuriam quae committeretur extorquendo, reuerentia Sacramenti eo casu postulat, ut sigillum seruetur, & omnia in eodem statu permaneant, ac si venia non esset concessa, praesertim cum inferens iniuriam teneatur omnia ad pristinum statum reducere. qui agit extra confessionem de rebus in confessione pertractatis, censetur dare respectu sui licentiam de his agendi.

Adverte 2. confessarium debere prudenter vti ea facultate, & non nisi parca, pro bono penitentis, & iuxta modum sibi concessum. & quidem si agat cum alijs, ad tollendum scandalum debere significare hanc facultatem sibi concessam. nam cederet in aliqualem huius Sacramenti irreuerentiam, etiam habita facultate leuiter vti, quamvis forte ex eo capite non committeretur peccatum mortale.

Cum ex variorum Doctorum sententia penitens teneatur personam complicitis aperire, quando eius notitia est necessaria ad peccati explicationem, quae potest num confessarius eam possit aperire, saluo sigillo, ex licentia penitentis, an vero requiratur licentia ipsius complicitis? Suppono ex dictis confessarium teneri seruare sigillum respectu complicitis, quia id pertinet ad explicationem peccati penitentis. hoc supposito in praesenti controuersia Vasquez q. 93. art. 4. dubio 5. num. 5. censet requiri licentiam ipsius complicitis, quia sigillum est etiam in fauorem complicitis. Suarez vero disp. 34. sect. 3. num. 7. censet sufficere penitentis licentiam, ut in bonum ipsius liceat vti notitia ex confessione parta, v. g. ut is iunetur contra infectionem complicitis, quam sententiam asserit esse variorum Theologorum, quae videtur omnino verior, quia sigillum proprie est in fau-

Sigillum
proprie ef-
se in fau-
orem peni-
tentis, non
verò com-
plicitis, nisi
per redun-
dantiam.

rem penitentis, & non nisi per quandam redun-
dantiam in fauorem complicitis; quatenus potest
oriri ex fauore penitentis, ergo quando fauor pe-
nitentis aliud postulat, eo concedente licentiam
non remanet obligatio sigilli respectu complicitis.
ex quo patet responsio ad rationem Vasquez.

D V B I V M VII.

*Verum liceat sacerdoti vti scientiā partā
in confessione ad sui directionem vel
gubernationem alterius?*

48.

Scoti &
quorūdam
aliorum
opinio.

QUOD prius Scotus dist. 21. q. 2. responsio-
ne ad 3. censet sacerdotem scientem etiam ex
confessione vnius ex latronibus mortem ab ijs sibi
paratam, si intret siluam, posse eam non intrare,
quod censet varij, quos citat & sequitur Henri-
quez lib. 6. cap. 24. num. 5. in commentario lite-
ra H. videnturque omnino intelligere, quamuis
alij veniant in suspensionem quod non intret, vel
quod fugiat ex notitiā in confessione comparatā,
cū aliqui censent id fieri posse, cō quod sacer-
dos nihil reuelet socijs quod ij nescirent, alij, vt
Scotus, censent factum esse indifferens, per quod
proinde non possit censerī reuelari confessio, tra-
ditque Scotus supra tanquam regulam genera-
lem, quod quando signum de se est indifferens ad
hoc, quod tale peccatum sit in confessione expli-
catum, vel non explicatum, non sit illicitum con-
fessori illud adhibere, nec sit signum reuelatiuum
confessionis, quamuis aliquibus ex aliquo suppo-
sito sit signum magis determinatum. Henriquez
cap. cit. num. 4. littera G. censet cum quibuscumque
alijs etiam eum, qui ex confessione nouit paratum
sibi venenum in calice, non teneri calicem sume-
re, imò videri non posse, quia videretur se occi-
dere.

49.

Scoti do-
ctrina nul-
lo modo
probanda.

Verum hæc doctrina nullo modo est probanda,
quia in casu, & circumstantijs propositis verè re-
uelatur confessio sine veniā penitentis, quod ex
communissima doctrinā Theologorum, & ex sen-
su Ecclesie est illicitum. assumptum probatur, quia
in ipsjs casibus supponitur quod alij verè deueni-
ant in notitiā, quod confessor nouit paratum ex
notitiā in confessione comparatā, & factum, scili-
cet fuga, vel omisso sumptionis calicis in his cir-
cumstantijs est morale iudicium confessionis.

Cap. Omnis
utriusque.

Confir. constet ex cap. omnis utriusque sexus, de
penitentis, & remissionibus, confessionem non
solum verbis, sed etiam alijs signis reuelari, ad
quod non videtur vllō modo necessarium, vt signa
assumantur ex formali intentione reuelandi con-
fessionem, sed sufficit, quod assumantur in talibus
circumstantijs quibus alij possint ex illis venire in
notitiā peccati in confessione explicati, & ita
nobiscum sentiant multi tam antiqui, quam re-
centiores.

50.

Ratio Scoti
soluitur.

Ex his patet responsio ad rationem Scoti, cuius
regula nullo modo est admittenda, cū aperiat
aditum innumeris indirectis reuelationibus con-
fessionum. quamuis enim verba sint signa magis
ad vnum determinata: alia tamen bene possunt ex
circumstantijs censerī moraliter inductiua cog-
nitionis alicuius rei in particulari, & ita bene potest
censerī deueniri in notitiā eius, quod in confes-
sione est explicatum. priori rationi. satisfactum est
dubio 3. vbi ostendimus peccata etiam publica in
confessione explicata non posse aperiri.

Ad rationem pro 2. casu allatam Resp. confes-
sarium non censeri sese eo casu occidere, cum non
operetur ex notitiā habitā in confessione, sed ex
aliā, secundum quam ignorat venenum sibi para-
tum.

Aduerte tamen, quod ex superioribus constat, si
is, qui hæc refert, non instituat confessionem sa-
cramentalem, sed ea referat vt ita sacerdotem re-
tarder à fuga, prætenu sigilli &c. sacerdotem pos-
se in suum commodum, vel aliorum vt eā notitiā,
vel vt à se vel alijs damnum auertat, posse etiam
vti, si nullo modo veniatur in notitiā, quod vta-
tur notitiā confessionis, quod tamen in praxi est
difficile.

Quantum ad posterius, suppono nullo modo
etiam licere vti notitiā partā ex confessione, quan-
do aliquā ratione veniret in notitiā penitentis,
vel aliorum, confessarium vt notitiā confessionis.
vnde pastor, qui ex solā confessione sacramentali
nouit subesse impedimentum dirimens inter ali-
quos debet eorum matrimonio assistere, si non
possit absque violatione sigilli subterfugere, Epus-
copus debet ordinare eum, quem ex solā confes-
sione nouit irregularem, excommunicatum, illegi-
timum, debet instituere in beneficio prælatum
ab alijs, vel confirmare electum, quem ex solā
confessione nouit inhabilem, vel excommunicatum
&c. non potest suffragium publicè negare ei, quem
aliā iudicabat dignum, vel ijs circumstantijs, qui-
bus aduertetur vt notitiā confessionis, & ita de
multis exemplis est dicendum. quod etiam verum
est, quamuis solus penitens id notaret.

Si verò non possit notari, quod aliquis vtiatur
notitiā partā in confessione, plurimi auctores cen-
sent licere vti eā notitiā, quorum aliqui ponunt
hos casus, alij alios, aliqui enim censent confessa-
rium, qui in confessione nouit proditorem, posse
monere ad diligentem ciuitatis custodiam. ita So-
tus distinctione 18. q. 4. art. 5. §. vltimo. Sa verbo
confessor num. 19. item posse dimittere famulum,
quem ex sola confessione nouit furem, vel posse
res suas melius custodire 3. prædicatorem posse
inueni in grauia peccata. 4. Episcopum posse di-
missorias negare, vel non conferre beneficium ei
quem nouit ex confessione indignum, 5. posse oc-
cultum suffragium negari indigno, 6. posse mone-
ri alium, cui paratur malum, vt tali loco, & tempo-
re sibi caueat. 7. prælatum posse ex notitiā in
confessione partā amouere ab officio ad nutum amo-
uibili eum, quem nouit sese malè gerere, non ad-
mittere ad officia eum, qui putatur nociturus, ne-
gare licentiam exeundi ex domo, posse erigere mu-
rum monasterij, & similia, quæ videri possunt
apud Henriquez lib. 6. cap. 25. Scotum supra res-
ponsione ad penultimum, Sotum art. 5. cit. Sa su-
pra & num. 27. & 28. Tolet. libr. 3. cap. 16. num.
17. Vasquez q. 93. art. 4. dub. 8. num. 6. & 7. &
plurimos alios apud Sanches lib. 3. de matrimonio
disp. 16. num. 2.

Verum licet, spectatā rei naturā hæc & similia
non videantur repugnare sigillo, cū etiam om-
nium consensu varijs casibus liceat vti notitiā in
confessione acquisitā, verbi gratia consulendo
aliquem de re dubiā, varios casus in libris eluci-
dando, ex longā experientia prudentius proce-
dendo in interrogationibus, in remedijs præscri-
bendis contra peccata: omnino tamen consultius
est in praxi in dictis, & similibus euentibus non
vti huiusmodi notitiā. 1. quia potest esse peniten-
ti valde graue, atque adeo eum retardare à con-
fessione.

fectione suspicari etiam in genere quod superior vel confessorius possit uti notitiâ ex confessione habitâ, v. g. suffragium ei denegando, eum amovendo ab officio honorifico.

2. Quia in plerisque casibus relatis, vel similibus est difficillimum eam circumspectionem adhibere, quæ requiritur, ut non innotescat alijs, vel saltem penitenti confessorium uti notitiâ confessionis.

3. Regimen rerum humanarum longè distat ab hoc Sacramento, & ab eo minimè debet dependere.

4. Cùm inferior, per se loquendo, debeat adire superiorem pro casu reservato, esset onus durissimum, si is sese posset dirigere in gubernatione subditi ex notitiâ in confessione comparatâ.

Quare licet prior sententia multos habeat aucthores.

Dico 1. quod confessorius non teneatur se illi conformare, sed possit sese gerere, perinde ac si nihil audivisset, neque incurret pœnas, si quæ ferrentur contra eligentes indignum &c. quia leges intelliguntur de ijs, qui norunt indignitatem &c. notitiâ in humano convivio comparari solitâ.

Dico 2. neque potest sese illi conformare, si aliquâ lege sit ei prohibitum, prout prohibitum est Superioribus Regularibus per decretum Clementis Octavi de casuum reservatione editum vigesimo sexto Maij, anno 1594. §. 6. ubi dicitur: *Tam superiores pro tempore existentes quam confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne cā notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem referantur.* quod decretum obligare sub mortali patet ex §. ultimo, ex quo patet non continere solam directionem, sed etiam præceptum. cùm ergo res sit gravis, eius transgressio erit mortalis; & cùm Pontifex voluerit consulere subditis, & integritati, & puritati confessionis; constat illud decretum omni euentu obligare.

Vnde iuxta illud superior pro nullo religionis bono potest sese in suo regimine dirigere ex notitiâ habitâ ex confessione, non potest subditum ab officio etiam amovibili removere, non potest eum alio mittere, clausuram melius custodire, ostium claudere, solitum egressum de domo negare, in mores subditi acriter inuigilare &c. quod intelligitur de notitiâ per illos in confessione comparatâ, quia si resciant ab aliquo, qui iuxta priorem sententiam in genere monuerit, poterunt uti in suâ gubernatione huiusmodi notitiâ, non minùs quàm magistratus aliquis civilis.

Predictum decretum non tangit inferiores, ut patet ex eius verbis; qui proinde nihil contra illud faciunt, si indigno in casu dubij negent suffragium &c. in societate ramen vsus prioris sententiae omnibus confessorijs est prohibitus anno 1590.



QUESTIO XII.

De satisfactione.

D V B I V M I.

Utrum remissa culpâ remaneat pœna temporalis propter peccatum persolvenda?



X dictis quaest. 86. art. 4. facile patet huius dubij resolutio, scilicet deletâ culpâ non semper condonari totam pœnam, sed interdum relinqui aliquid pœnæ persolvendum in hoc, vel futuro saeculo, quod licet negent hæretici nostri temporis, ut patet ex Bellarmino libr. 4. de penitentia cap. 2. & alijs qui contra hæreticos scripserunt; est de fide definitum in Trident. sess. 6. can. 30. & sess. 14. can. 12. supponiturque can. 13. & docetur sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8. traditur etiam in Florent. de purgatorio, & supponitur decreto de Sacramentis, de Sacramento penitentiae, dum inter eius partes recensetur satisfactio, patet etiam ex varijs scripturæ locis, ex quibus constat deletâ culpâ non semper simul totam pœnam deleri. 2. Regum 12. remisso Davidis peccato idem punitur morte filij, punitur etiam post obtentam remissionem peccati ob numeratum populum cap. 24. eiusdem libri, quæ pœnæ non solum fuerunt instructio, ut de cætero similia peccata caueret, sed se habuerunt per modum vindictæ, ut patet cap. 12. cit. ubi dicit Propheta Nathan quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur. idem docent patres, August. libr. 2. de peccatorum meritis cap. 34. & alibi, & plures alij passim citari soliti, & quibus dubio sequenti aliquos referemus.

Neque huic veritati obstant varia, quæ adferunt hæretici, quod videlicet, si post remissionem culpæ homo remaneat debitor alicuius pœnæ temporalis, Deus recordabitur peccati, contra id quod dicitur Ezechielis 18. ad quod Respondetur negando assumptum ad sensum Scripturæ: quia Deus eo sensu dicitur non recordari peccati, cuius hominem penitet, quod eum propter huiusmodi peccatum non punit pœnâ aternâ, seu morte aternâ, de quâ apud Ezechielem est sermo.

2. Quod id videatur derogare satisfactioni Christi, ad quod Respondetur negativè: si enim Christi merito, & satisfactioni, eiusque infinitæ perfectioni non repugnet, quod non remittantur nobis peccata, neque gratia infundatur absque nostra Cooperatione, vel susceptione Sacramentorum, ita eiusdem perfectioni non repugnat, quod remissa culpâ & pœnâ aternâ remaneat reatus pœnæ temporalis, pro quâ per Dei gratiam ex Christi meritis satisfacere possumus. ratio est, quod licet satisfactio Christi sit infinite digna: ea tamen nobis non prodest, nisi nobis applicetur; noluit autem eam nobis ita applicari, ut quotiescumque remittitur culpa, remittatur & pœna integra, sed convenienter diuinæ iustitiæ, & providentiæ aliquid relinqueretur pro quo ex eiusdem meritis satisfacere possemus.

Querunt

36.

Veritas Cathol.

Trident.

Florent.

August.

Obiectio 1.

Resp.

Obiectio 2.

Resp.